

industria, & quæ omnium, quæ in Te admiramur, bonorum fons est, ex non infucata Tua pietate, quanti virtutes facere Tuas debeam, hactenus satis sum superque edocetus. Nihil à vero alieni dixero, si Tibi me multa debere affirmavero, quod affirmare nullus erubescam. Etenim experientia me docuit virtutum amantibus non placere, nisi qui & ipsi virtutibus student. Hinc eo mihi allaborandum duxi, quo Tuis meos etiam mores confirmarem. Tua persæpe industria effecit, quamdiu in saniori Philosophia excolenda assiduus mihi Commilito adfuisti, qui magis magisque in studiis meis incrementa ceperim. Hoc certe, si non alio, nomine permultos, quod libenter agnosco, Tibi debo grates. Ne credas velim, ullam unquam oblivionem merita Tua ex memoria mihi deleturam, quæ vel omni die ob oculos mihi versabuntur. Revocabit corum memoriam museum meum, quoties, quam in eodem sedulus occupare solitus es, sedem contuebor. Revocabit eam præsertim, quam sub summe Venerandi Nostri, de studiis nostris longe meritissimi, filialique observantia ac pietate ætatem colendi, Præceptoris Præsidio defendere anniteris, Theologica Dissertatio. Gratulor Tibi interim hosce Tuos conatus animitus, prosperrimum eorundem eventum vovens. Faxit Ter Sanctum Numen, studia Tua optatum aliquando obtineant finem, reliquisque Tuis virtutibus nunquam desint, easdem qui admirentr, æstimentque. Hisce paucis Te volui, animo meo commendatissime MVL-LERE ! virtutibus Tuis amicitiaeque Nostræ monumen-tum debens haut simulatum. Vale Amice exvoto, ac, quod fecisti hujusque, perge favere Tuo  
amantissimo

Scr. Rostoch d. 19. Aug.

Anni 1702.

FR. ALB. ÆPINO.

Col. Thes. A 166, vise 20